Quare Serenissime Princeps Elector, certâ fretus spe atque fiduciâ hunce meum laborem, quem soli gloriæ et Ecclesiæ atque Evangelicæ doctrinæ propagationi impendere volui, Sereniss. Cels: Tuæ consecro et offero, humillime rogans, ut clementer eundem suscipere ne dedignetur, atque ubi sententiam libri vel ex consilii sui sincera relatione cognoverit, ostensas pacis Evangelicæ rationes juxta cum reliquis Christianis Regibus ac Principibus, quibus itidem pronicum hocce meum, eâ, quâ par est, animi demissione commendavi, pro Celsissimâ sua authoritate promovere pergat: immortalem inde in Ecclesia et Republica Christiana laudem consequutura: quæ simul cedet ad Dei O. M. et Filii ejus unigeniti Jesu Christi Servatoris nostri gloriam in omnia secula celebrandam. Dominus Jesus Seren: T. Cels: cumulatissime benedicat, Spiritu sancto regat, incolumemque diu Ecclesiæ et Reip. conservet. Heidelbergæ a. d. VIII. April. Anno ultimæ Dei patientiæ 1614. de Ao 1614.

Serenissimæ T. Celsit:

Subjectissimus

David Pareus S. Theol:
in Academia Heidelbergensi
Professor Senior.

Reverendissimo in Christo Patri, 176.
D. Andreæ Knoxio, Insularum Scotiæ,
et Ecclesiarum Dar. Rif. x. in Hibernia
Episcopo: Regiæque Majestati à consiliis intimis: Gratiam à Domino!

Reverendissime in Christo Pater. Cum superiori Augusto in meo Decanatu promulgatis ex more Facultatis nostræ Legibus, Studiosos S. Theologiæ ad matriculam inscripsissem: inter alios nomen professus esse Thomas Knoxius Scotus, filius Dignitatis

Tuæ, præclaræ indolis, pieiq; juvenis. Observavi in
prælectionibus nostris auditorem assiduum: nec fu-
it mihi studium commoda ejus juvandi pro viri-
li. Noluit verò pedem ex Academia nostra do-
mum referre, nisi specimine ingenii et profe-
ctûs sub meo præsidio edito. Quod dum ob re-
pentinum eorum, quibuscum redeundum erat,
discessum, publicè adornari non posset: in Musæo
meo perpetuis Collegiis Sabbathinis hactenus di-
cato, in præsentia multorum Reverendorum viro-
rum, et ornatissimorum juvenum, egregiâ sanè
cum laude præstitit. Non potui igitur quin
ipsi à nobis discedenti dilectissimi Parentis
Tibi optimi filii lætissimum precarer conspe-
ctum. Duo ferè esse solent, quibus sese paren-
tes felices hîc judicant εὐτυχία καὶ εὐτεκνία.
De utraq; Tibi gratulor. Ad fastigium ho-
noris in Ecclesia gubernanda divina benignitas
Te erexit. Filium dedit talem, in quo vivas post
funera. Et ego gratias ago Deo meo, quòd me quoq;
inter tot annorum gravissimos labores utroq;
bono beare dignatus est. Statum nostrum Dignitas
Tua ex filio cognoscet. Germaniæ Ecclesias Evange-
licas jam à Lutheri temporibus schisma Euchari-
sticum exercet. Plurima remedia frustrà ten-
tata: Numine haud dubiè peccatis nostris irato.
Quæ res jampridem anxium me tenuit, ecquid
tandem medelæ tanto malo adferri à me possit.
Scripsi ante septennium Irenicum de unione et
Synodo Evangelicorum conciliandâ, publicâ cen-
surâ probatum: quod nunc tandem instantibus
amicis prelo commisi. Cura consilii potissi-
mum ad Regias Majestates M. Britanniæ et Da-
niæ pertinebit. Quod quale sit, volente Domino

faciam brevi, ut Reverenda Dignitas Tua ex libro intelligat. Vos qui ad Ecclesiæ Britannicæ guber-naculu sedetis, facile in communi causa nobiscum, ut sedatis dissensionum turbinibus, quantum in nobis est, veritatem et pacem posteritati velitis, quamquam. Deus Te, Reverendissime Præsul, diu Ecclesiæ et suis servet. Heidelbergæ 4. Febr: 1614.

Serenissimo Jacobo Magnæ Britanniæ Regi.

177

Inclytissime Rex, Domine clementissime: Ad vestram Majestatem mitto Irenicum epistolio parvo, imploratione magnâ. Illo quidem, ut ipsum sit epistola, quam M. vestra legendo vel audiendo cognoscere dignetur: Hac vero, quæ ad rem maximam, unionem, Synodum, pacem Evangelicorum conciliandam vestræ Majestatis imploratur authoritas. Necessitatem tot distractio diuturna loquitur. Difficultatem tempora superiora docuerunt. Facultatem præsentia tandem promittunt: quæ si non Theologos omnino ad rem magis compositos, certè Monarchas et principes viros ad tanti molimiinis negotium desideratissimos nobis progenuisse, vel potius divinitus videntur esse sortitæ. Quibus cum Deus O. M. singulari gratiâ Majestatem vestram ad fidei Catholicæ Apostolicæ defensionem primo throno nunc collocaverit: Eidem prima cura et authoritas merito incumbere videtur. Est vicinus Rex Cimbrorum, quem in hoc sancto studio vestra sacer ipsa affinitas sociabit. Sunt imperii Electores et Principes Evangelici, quos ad opus Domini promptos inveniet Regia vestra Majestas. Dissidiis nostris satis diu Romana Synagoga triumphat. Eo composito vincit tandem Ecclesia — paxura triumphis innumeris potior.